

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5826

Auteur(s) : Raoul de Harcourt, Eu (archidiacre)

Bénéficiaire(s) : Évreux, Saint-Taurin (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1289

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul d'Harcourt, archidiacre d'Eu, et le seigneur du Tilleul-Othon « Qui ne dort » notifient l'arrangement d'un différend survenu entre eux, d'une part, et l'abbé et les moines de Saint-Taurin d'Évreux, d'autre part, sur les dîmes de la paroisse du Tilleul et les services que l'abbaye doit au seigneur du Tilleul-Othon en raison de ces dîmes.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1869, t. 3, p. 270-271.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Radulfus de Haricuria, archidiaconus Augi, in ecclesia Rothomagensi, ac dominus de Tilliolo Othonis, seu Qui non dormit, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod, cum inter nos, ex una parte, et religiosos viros, abbatem et conventum monachorum Sancti Taurini Ebroicensis, ex altera, verteretur seu verti speraretur materia questionis ; super eo videlicet quod dicti religiosi dicebant et proponebant, nomine suo ac sui monasterii, quod, cum ipsi essent et fuissent in possessione vel quasi percipiendi et habendi per se vel per alium nomine eorum, ipsi ratum habentibus, a tempore a quo non extat memoria, dimidiam partem decimarum bladorum, tremesiorum, hybernagiorum et aliorum fructuum crescentium in quibuscumque terris existentibus infra metas seu fines parrochie de Tilliolo predictae, nos seu alius nomine nostro, nobis ratum habentibus, ipsos religiosos seu eorum mandata impediabamus seu perturbabamus minus juste et sine causa rationabili quominus dicti religiosi dicta possessione vel quasi gaudere possent pacifice et quiete ; nobis contrarium asserentibus et dicentibus, jure domini dicte ville de Tilliolo, dictos religiosos et eorum monasterium ratione dictarum decimarum teneri nos una cum nobiscum venientibus et equitaturis nostris et nobis comitivam facientibus in abbazia eorum recipere, quotiens nos apud Ebroicas contigerit declinare, et quamdiu morari voluerimus in abbazia supradicta, et nobis in esculentis et poculentis de bonis eorum monasterii, necessaria ministrare ; item eosdem religiosos teneri nobis in abbazia eorundem predicta recipere unum palefredum seu equum, et garcionem ad custodiendum palefredum seu equum predictum et eis necessaria ministrare, tamdiu quamdiu in dicta abbazia morari voluerint ; item eosdem religiosos nobis teneri annuatim in Paschate in una sella nova ad equitandum, secundum quod status noster requirit competenti vel saltem viginti quinque solidos Turonensium pro valore seu estimatione dicte selle ; item eosdem nobis teneri recipere in abbazia eorum predicta saltem semel in anno et per unum diem quatuor de hominibus nostris de Tilliolo predicto antenatis, et eis in esculentis et poculentis per dictum diem necessaria ministrare ; item eosdem nobis teneri predictos quatuor antenatos necnon et prepositum et servientem nostros de Tilliolo predicto recipere quotienscumque nundine sunt apud Ebroicas, et quamdiu sunt eis in esculentis et poculentis ministrare. Tandem, post multas altercationes, de bonorum et juris peritorum

consilio, super premissis omnibus et singulis compromissimus et compromittimus in nobilem et discretum virum dominum Goherium, tunc vicecomitem Pontis Arche, militem, ac venerabilem et discretum virum magistrum Laurentium Forestarium, thesaurarium ecclesie Omnium Sanctorum de Mauritania, Sagiensis diocesis, arbitros arbitratores seu amicabile compositores hinc inde nominatos et electos (?), et promittimus nos inviolabiliter observare quicquid dicti arbitri, arbitratores seu amicabile compositores, inquisita veritate super promissis, alte et basse duxerint ordinandum, statuendum seu amicabiliter componendum. Ita tamen quod si dicti arbitri arbitratores seu amicabile compositores per se noluerint aut nec potuerint hujus modi terminare negocium, volumus et consentimus quod quicquid reverendus pater ac dominus G., Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, ad relationem seu inquisitionem per eosdem dominum Goherium ac magistrum Laurentium, factam, in scriptis redactam, partibus publicatam et sigillatam sigillis eorundem, duxerit ordinandum super premissis, statuendum seu amicabiliter componendum, validum sit, et promittimus nos premissa rata habituros, sub pena centum marcharum argenti solvendarum a nobis dictis religiosis, si nos a dicta sententia ordinatione seu amicabili compositione dictorum domini Goherii ac magistri Laurentii seu prefati domini Rothomagensis archiepiscopi, si dicti dominus Goherius ac magister Laurentius per se noluerint aut non possint hujusmodi terminare negocium, facta eidem domino Rothomagensi archiepiscopo relatione, seu eidem exhibita inquisitione quibus supra, resilire contingat, seu si per nos stet quominus in compromisso procedatur eodem ; et tenebimur coram dictis domino Goherio ac magistro Laurentio seu prefato domino Rothomagensi archiepiscopo, si dicti dominus Goherius ac magister Laurentius per se noluerint aut non possint hujusmodi terminare negotium, comparere, per nos vel per procuratores nostros idoneos, locis et diebus feriatis vel non feriatis nobis assignandis ab ipsis seu eorum altero sub forma que supra. Et poterunt dicti dominus Goherius ac magister Laurentius seu dominus Rothomagensis archiepiscopus, sub forma que supra, dictum suum, ordinationem seu amicabile compositionem suam proferre diebus feriatis vel non feriatis, stando vel sedendo, nobis vel procuratore nostro presentibus vel per contumaciam absentibus ; et debet terminus hujus compromissi finiri infra instans festum Purificationis Beate Marie Virginis, nisi de consensu nostro et dictorum religiosorum fuerit prorogatus. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum presentibus hiis duximus apponendum. Actum et datum anno Domini M. CC. octogesimo nono, die lune post Nativitatem Domini.